

1127  
**B** VLLA CLEMENTIS VII. PONT.  
MAX. IN QVA PLENARIAM IN/

dulgentiam omnibus in Vrbe existentibus & Arma pro Papæ

& Urbis defensione contra Carolum de Borbonio nun/

cupatum, exercitum Imperialem contra mentem Cæsareæ

Maiestatis ad diripiendum Almam Urbem, ducentem,

capientibus elargitur. Coeterum officia Officialium Curiz in

pugna decedentium, eorum hæredibus libere concedit,

Beneficia uero Curialium, qui in hoc Sanctissimo certamine

occubuerint, eorum proximioribus, qui Clerici &

idonei sint, confert.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SER  
VORVM DEI AD EVTVRAM REI  
MEMORIAM.

**C**Vm non sine animi nostri molestia & gregis Domini-  
ci nobis cõmissi magna solitudine intelligamus, Caro-  
rolum de Borbonio nuncupatum, contra Cæsareæ Maiesta-  
tis uoluntatem, cum exercitu gētium Imperialium, quæ maio-  
ri ex parte Lutheranis hæreticis, ac perfidis Iudæis constare  
dicuntur, post multas Ciuitates, Terras, & loca nobis & San-  
ctæ Romanæ Ecclesiæ immediate subiecta, multis ac maximis  
clannis, direptionibus, cædibus, ac rapinis, inauditisq; cru-  
delitatum generibus affecta, ad aliam Urbem nostram appro-  
pinquare, ut similibus ac etiã maioribus uexationibus eã bea-  
torum Petri & Pauli, ac aliorum Sanctorum Martyrio & fan-  
guine consecratam diripiant ac deuantent, persuasum habe-  
mus, non minus meritorium ac ipsi omnipotenti Deo, cuius  
etiam causa agitur, gratum & acceptum opus nos facturos fo-  
re, si dictam Urbem non solum spiritualibus, sed etiam tem-  
poralibus armis protegamus ac defensemus, quam si contra  
Turcas & alios infideles Christi nominis hostes arma sumi fa-  
ceremus ac arma ipsa fumentibus, gratias & priuilegia solita  
concederemus. Ea propter ne nobis ipsis dictæq; Vrbi ac cu-  
rialibus & officialibus nostris in ea degentibus defuisse uidea-  
mur, habita super his cum uenerabilibus fratribus nostris San-  
ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione,  
& de eorũ unanimi consilio uniuersos & singulos Christifide-  
les cuiuscunq; status, gradus & conditionis existentes in Dño

hortamur, ac per Viscera misericordiae Dei nostri requirimus  
ut contra nos ac dictam Urbem Curialesq; & Officiales nostros  
uenientes, arma sumere, ac nostram ipsiusq; Dei causam de/  
fensare & ab imminentibus periculis liberare uelint. Quod ut  
eo promptius atq; alacrius facere studeant, de omnipoten/  
tis Dei misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostoloru.  
eius auctoritate confisi, necnon uerbo illius, qui nobis in per/  
sona eiusdem Petri, eandem auctoritate licet non paribus  
meritis, successores sumus, dixit. Quodcumq; ligaueris super  
terram, erit ligatum & in caelis, & quodcumq; solueris super  
terram, erit solutum & in caelis. ac etiam de Apostolica po/  
testatis plenitudine nobis caelitus tradita, omnibus & singu/  
lis, qui pro Nostra & dictae Urbis defensione contra praedi/  
ctos arma coeperint, ac uiriliter pugnaverint, eam prorsus  
plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & re/  
missionem quae per nos & praedecessores nostros proficiscen/  
tibus in subsidium Terrae Sanctae & contra perfidissimos Tur/  
cas concedi consuevit, ac in proximo anno Iubilei per nos  
de more praedecessorum nostrorum concessa fuit, concedi/  
mus pariter & indulgemus, ac illorum quos in defensione  
huiusmodi decedere contigerit, animas, Sanctorum Angelo/  
rum consortio in caelestibus aeternae felicitatis gaudis aggre/  
gamus. Et si officiales nostri uel beneficiati fuerint, eorum  
officia haeredibus ipsorum concedimus, beneficia uero per  
eorum obitum uacantia, eorundem proximioribus qui Cleri/  
ci & idonei fuerint, conferimus, & ex nunc prout ex/  
tunc & econuerso concessa & collata eis fore decernimus.  
Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apосто/  
licis, caeterisque contrariis quibuscumq;.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnatio-  
nis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Vigesimo Septi-  
mo, Quarto Nonas Maii Pontificatus nostri Anno Quarto.

**F. BRANCHONIVS.**